Talis enim ſolus nobis benè diſputat Autor,
Et verum â falſo dividit arte ſuâ.
Hinc, *Vir Clare*, tuos præſentes laudo Labores,
Plura Sophiſtarum qvi malè facta docent.
Perge tuum ſtudium; Virtutes perge Scholarum:
Non erit ingenii Fama ſepulta Tui!

Michael VVendelerus,
SS. Theol. D. ejusdemq́; in Wittebergenſium Academiâ P. P. Extraordinarius, & Moralis Philoſophiæ Ordinarius.

TOt per Luſtra praes cum ſummo laudis honore,
PRÆCLARIS RECTOR, CLARE BOHEME, SCHOLIS;
Non tamē attritus ſtudio es: mirabile! tradunt
Se doctrinæ Alii; traditur illa Tibi.
Sic Logicæ laqveos, ſic cæca Sophiſmata ſolvis.
Clarius haud poſſit Delphicus ipſe dare.
Perge ultrà, qvocunq́; vocat Sophie: hâc Duce victor
Semper eris: VictrixTe Schola Præſide erit.